



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 39. De Baiualatione crucis, & iis quæ in illo itinere acciderunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

suprema conforta cor tuum: nam sacrificio  
interfutura es, in quo Patri æterno offeres,  
quod ab eius manu acceperas: & si grauem ti-  
bi attulit pœnam tristis illa relatio, quam tuis  
auribus accepisti: maiorem multò adferet tri-  
ste illud spectaculum, quod tuis oculis per-  
spicies.

MEDITATIO XXXIX.

DE BAIVLATIONE CRVCIS,  
& qua euenerunt antequam ad  
Caluarium montem per-  
ueniretur.

PUNCTVM I.



ROLATA, & acceptata  
sententia, tria milites nota-  
tu digna fecerunt, ex man-  
dato iudicis.

I.  
a Matt. 27. 31  
a Marc. 15.  
21.

PRIMUM fuit, a exue-  
re eum chlamydem, & in-  
duere eum vestimentis eius: Vt sic agnosceretur:  
sed non legitur tamen, quod abstulerint illi  
spineam coronam, sed illam potiùs reliquisse  
credendi sunt, ne aliquod illi leuamen adfer-  
rent. O dulcis IESV, exactè satis personam e-  
gisti veri Regis, & propterea coronam tibi re-  
linquunt, quæ regni tui perpetuitatem signi-  
ficat. Tempus iam est, vt latronis & malefici,  
cùm

cum talis non sis, personam agas, insignia ferens verorum latronum & maleficorum. Loco itaque inanis arundinis, quam auferunt illi ex manibus, amplecteris solidum lignum crucis, & comitatus duobus latronibus, exhibitis cum eis in illa moriaris.

**L I C E T** etiam æstimare iniuriosa verba quæ illi carnifices Christo Domino obiecerint, tanquam homini, ob maleficia damnato; & crudelitatem, qua illum ad locum adduxerint, in quo fuerat verberatus; & ubi eum exuentes, propria vestimenta sanguine infecta traderent, ut indueret. Quod totum habuit aliquod mysterium. Nam, ut **C H A R I S T V S** Dominus noster, ad tollendam crucem suam, exiit aliena vestimenta; (sive quæ apud Herodem, sive quæ apud Pilatum acceperat) sua verò propria induit: ita ego ut tollam Crucem meam, & illum imitem, omnes mores malos huius mundi, & carnis, exuere debeo, & proprios Christi induere; ut sic agnoscar, habeamque discipulus eius præcipuè verò induam mansuetudinem patientiam, misericordiam, & charitatis virtutem.

**II.** **S E C V N D V M**, quod milites fecerunt, fuit, adferre lignum crucis magnum, valde quæ graue, ut ipsum Christus portaret. Cuius quod perpendam, quid in corde suo Christus Dominus senserit, aut dixerit, conspecta cruce, tanquam enim cum re sibi gratissima, iucundius exultauit, multo quæ alacrius, quam S. An-

deas, dixerit: *salve crux pretiosa, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quaesita, & aliquando cupienti animo prae parata, veni, & expansis vlnis te complectar, quia tu me in tuis excipies; veni, daboque tibi osculum pacis ore meo; quia in te caput meum reclinabo, dormiamque in pace, vltimū mortis somnum.* Quam tenerè amplexatus fuerit Christ⁹ Saluator noster suam crucem: primoque illo amplexu eandem sanctificauerit; quam lubens acceptam suis manibus, afflictis suis humeris imposuerit! O dulcis IESVS, largire mihi gratiam, talibus oculis, tuam crucem aspiciendi, & amore isto complectendi, eodemque desiderio eandem quaerendi; & in ea ita gloriandi, vt non requiescam, donec in ea moriar.

## III.

TERTIVM fuit, quod duos latrones ex carcere eduxerit, qui illum in itinere comitare eunt; sic enim Sanctus Lucas ait, *ducebantur alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Hoc autem in magnum ipsius Christi Domini dedecus, & ignominiam cedebat: quia vt latro & nequam, habebatur. O quam diuersis oculis, latrones illi crucē aspexerunt: quos ne eā viderent, clauserunt, eius conspectu perterriti; illi culpam amantes, poenam horrerunt: sed dilectissimus noster IESVS, poenam amplexus est, culpam detestatus: illi poenam, quam propriā culpā erant meriti, refugiebant: Christus verò poenam acceptavit, quam aliena culpa fuit promerita.

Gra-

Gratias tibi, dulcissime Saluator, quod ita iucundè amplexus fueris crucis pœnam, absque tua culpa, vt me à mea liberares. Muta cor meum ad similitudinem tui: vt, siquidem culpas, vt latrones illi, commisi; lubens acceptis, sicut tu pœnas, quas illis sum promeritus; que ipsum ex charitate offeram, ad sustinendas etiam alienas; vt sicut tu plurima pro hominibus es perpeffus: aliqua saltem & ego pro meis proximis patiar.

## PUNCTVM II.

a Roa. 19. 17.

I.

**I**ESVS ergo baiulans sibi Crucem, exiit in Ierusalem, qui dicitur Caluaria locum.  
 IN hoc commiseratione dignissimo loco considerabo PRIMVM, insignem Christi Domini nostri ignominiam: cum in primo illo ex domo Pilati exitu, crucem baiulans, inter duos latrones exiret, proclamante elata voce præcone illius delicta: magnoque populi clamore, & innumera turba, ad hoc spectaculum concurrente. O Angeli, qui exitum hunc Domini vestri, ad eò ignominiosum spectatis: cur non ex vestro isto cœlo descendentes, in eius ignominie causam, contra vocem præconis promulgatis, vt vestri Domini honorem tueamini? O Pater æterne, quid facis, aspiciens tuum filium, ligno crucis oneratum, in quo est sacrificandus? num, sicut alter Abraham cum Isaac filio suo, exis, portans in manu tua ignem & gladium, quibus est sacrificandus?

ficiam peragendum ? O vehemens amoris  
ignis, qui in huius Patris corde adeo exarde-  
fcis, vt illum vrgeas, eximere iuffit, & fua gla-  
dium vt proprium filium occidat, ac facri-  
ficeret; quò peccatori vita tribuatur ! exure: Do-  
mine, isto igne cor meum, vt eum diligam, à  
quo adeò me diligi video: vulnera me gladio  
isto, ita, vt moriatur in me, quidquid tibi dif-  
plicet. Sed cur quæfo Deus meus, cum filio isto  
tuo, non *de nocte, & duobus tantùm inuenibus, Gen. 22. 3.*  
ficut Abraham, comitatus exis ? sed medio  
ipfo die cum magno turbæ concurfu & stre-  
pitu, ad ipfum sacrificium confluentis ? O i-  
gnis amoris, qui & ardes, & lucet ! vis  
que vt opera tua splendeant, & adurant fic-  
ut sol, in meridie ! aperi mihi paternæ  
huius charitatis magnitudinem ; humilita-  
tis verd, & obedientiæ filij profunditatem ;  
vt eius opprobrijs glorier, eaque in totius  
mundi conspectu, magna amore comple-  
ctar.

## II.

DEINDE consideranda est afflictio, &  
ingens dolor, quem debilitatum Christi Do-  
mini corpus, tam graui onere imposito, sense-  
rit: Quoties in progressu impegerit ; & ob  
nimium pondus, etiam genu flexerit, corpore,  
& ex præcedentibus cruciatibus, valdè exhau-  
sto; ac præ nimia defatigatione, grauissimi il-  
lius ligni pondere oppressus, & sudauerit, &  
plateas sanguine, ex vulneribus compressis  
expresso rigauerit ! O sanguinem Dei viui,  
ò sanguinem infinitum, luto platearum com-

IV. Part. Med.      ee      mixtum,

mixtum, & abiectionum hominum pedibus conculcatum. O Angeli coelestes, cur non acceditis, exanguem hunc Dominum adiuuatis, ut tantum pondus ferre possit, cur pretiosum hunc sanguinem non colligatis? O dulcissime IESU, si mihi licuisset, super humeros meos, onus illud suscipere, ut tu aliquantulum leuarentur. sed animaduertens Domine humeros Dei, ad illud portandum

*e Isai 9. 6.* esse necessarios. nam *e factus est principatum*, qui à cruce incipit, *super humerum eius &*  
*d Isai. 22. 22* *clavis domus David erit super humerum eius,* ut coeli portas nobis aperiat, quæ hactenus erant clausæ.

III. DENIQUE perpendam, quantum grauius senserit Christus, pondus nostrorum peccatorum, quam ipsius crucis. Si enim Dauid iure dicere

*e Psal 37. 5.* potuit; *e quoniam iniquitates meae, sicut onus graue grauatæ sunt super me;* quanto grauius fuerit pondus omnium peccatorum hominum,

qui fuerunt, sunt, & erunt; quod hic Dominus sibi ipsi imposuit? de quo Isaias ait, *f omnes nos quasi oves errauimus: unusquisque in viam suam declinauit; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Peccata mea

*e Isai 53. 6.* dulcis IESU, humeros tuos ita grauiter premunt: ego sum ovis, quæ errauit: tu vero *sicut ovis ad occisionem duceris ad montem Caluarium, in quo pro meis erratis sacrificeris, utinam illa nunquã admissem; nè tantum tibi adferrem laborem, cum igitur culpa sit mea, consonum est, me pœna quoque partem aliquam*

quam luere, & vt imponatur mihi crux, quam sum promeritus: en Domine, ad eam tollendam me offero, sicut te video tulisse tuam.

PVNCTVM III.

**C**VM CHRISTVS cum sua cruce pergeret; a apprehenderunt Simonem a Luc. 23. quendam Cyrenensem, venientem de 26. villa; & imposuerunt illi crucem portare post Matt. 27. 32. IESVM. Marc. 5. 21.

**C**ONSIDERANDA hic imprimis, quanta fuerit Christi Domini nostri, in eo itinere lassitudo; ex qua eius hostes, occasionem eum irridendi acceperint, propter imbecillitatem, quam præ se ferebat, obiiicientes ei ex alia parte, quod esset filius Dei, & in triduo possēt ingentem illam templi machinam excitare; vtrumque autem ipse Dominus, admiranda ipsa patientia ferebat, donec Sacerdotum principes, timentes, ne fortē in via deficeret, crucem illi abstulerunt, non ex compassione, vt alleuiarent; sed ex desiderio, quo tenebantur eum in ea affigendi. Hinc accipiam consolationem in meis calamitatibus; & in cruce, quæ mihi in sortem obtigerit, quantumuis grauis illa sit, sperans in misericordia IESV Christi Domini nostri, quod prouisurus sit, qui me ad eam portandam iuet; reuocans mihi in memoriam illud Apostoli. *b grauat sumus supra modum, & supra* b 2. Cor. 1. 8.

I.





virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere. Sed ipsi, in nobismet ipsis respōsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui etiam suscitāt mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.

## II.

DEINDE perpendam, Christum Dominum nostrum; quamuis potuisset, solus crucem suam in montem vsque portare, carnem suam etiam miraculo corroborando, ea tamen potestate vti noluisse; sed vt crux alteri imponeretur, qui eam post ipsum portaret, vt nobis significaret, crucem suam esse fidelibus suis communicandam, qui ad eius imitationem illam portent, vt impleretur, quod

*Luc. 9. 23. ipse iam antea dixerat, sic quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* *Mat. 16. 24.* *Marc. 8. 34.*

Obone Iesv, si tu præcedis, tollēs primus crucem adeo grauem, vt te ad genua vsque deprimat; quid mirum est, si meam ego portem, viribus à te mihi, ad eam portandam collatis: Crux, Domine, quam porto, tua est & mea: tua, quia tu primus eam portasti, & dispositione mihi communicasti, tuique intuitu & causa à me portatur; est tamen mea, quia meis viribus accommodata creditque in meum commodum: neque crucem tuam, mihi nunquam imposuisses, nisi benedictos fructus, qui ab ea proueniunt, communicare mihi statuisses.

## III.

CONSIDERANDVM tertio, neminem ibi fuisse repertum, qui vellet Christi crucem

crucem portare, nec ipsum in ea portanda iurare. Iudæi enim, tanquam maledictum & irregularitatem æstimabant, vel rangere ipsam crucem, propter legem, quæ dicit; *d quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*: Milites etiam Gentiles, id sibi dedecori ducebant; ex discipulis verò & amicis Christi, nemo aulus est accedere, adeò erant omnes metu conterriti: quare necesse fuit per transeuntem aliquem aduenam apprehendere, & cogere, vt crucem portaret. In quo varia genera personarum, nobis proponuntur, quæ fugiunt crucem Christi, alij, quod non credant, quantum in ea posuerit Deus virtutem, quales erant infideles, alij, quod ignominia & dedecoris loco & contra suum honorem illam ducant, quales sunt superbi & ambitiosi, alij, ob timorem laboris, qui contra sensum professionem in ea ferenda subeundus est, quales sunt delicati, & qui suæ carni nimium indulgent.

d Dent. 21.  
23.  
Galat. 3. 13.

Quis meis oculis largiretur fontem lachrymarum, vt cum Apostolo *e flente* dicere possem; *multos esse in hoc mundo inimicos crucis Christi, quorù Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum!* O Rex gloriae, ne permittas, me inimicum esse crucis tuæ; ne & tuus fiam inimicus, nolo ventrem habere Deum, nec ipsam gloriam mundi; sed Christum crucifixum; cuius crux mihi delicia & gloria. nam si crucis eius amicus fuero; eius quoque ero, qui in ea, pro me voluit mori.

e Phil. 3. 18.



## IV.

*S. Bern. ser.  
34. in Cant.  
& infra Me-  
dit. 53.*

DENIQUE perpendam, omnes nos naturā à cruce abhorrere; nec ullū esse, qui eam portet, nisi aliquo modo, sicut Cyrenensis hic Simon, coactus; sed aliter tamen atque aliter nam quidam, non solum coacti, sed etiam impatienter, & absque villo merito, facientes ex necessitate virtutem, sicut hic Simon. Sed alios tamen iucundius cogit ipsemet Deus, efficacitate inspirationis, & gratiæ suæ, quare pugnantiam illam naturæ, & carnis horrorem, ita vincunt; ut prompta spiritus voluntate illam acceptent, ac portent; & Apostolus, glorientur & exultent, dum illam omni tempore & loco portant! O dulcis Saluator, qui nullum vis cogere, ut suam voluntas crucem portet, sic enim dixisti. *si quis vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me*: Siquidem repugnat caro mea, & refugit illam tollere; preueniat me gratia tua, qua illam ita cogam, ut spontè crucem tuam tollat, teque sequatur, qui ad eò libenter, illam pro me portasti.

*Luc. 9. 23.*

*Vide Medit.  
proximam.*

## PUNCTVM IV.

**C**IRCVMSTANTIAS hominis, qui crucem Christi portavit, hic perpendens, hauriam ex eis spiritum, quem continent siquidem non casu accidisse credendum est.

## I.

PRIMUM vocabatur ille Simon, quod interpretatur obediens: quod nobis significat obedientiam.

obedientiae virtutem, in eo se maximè ostendere, vt vincat voluntatis propriae repugnantiam, in acceptanda, cruce, quam Deus nobis imposuerit, quomodocunq̄ tandem imponat; & obedientes esse, qui alleuiant ipsum Christum, eiusq̄ue vicarios: nam ceteri, onerari potius sunt eis, quia vt ait Apost. faciunt, vt non a *cum gaudio sed gementes*, munus suū exerceant. O IE SV dulcissime, qui ex obedientia crucem tuam accepisti, adeoq̄; teipsum humiliasti, vt factus obediens, vitam in ea finiret; & qui adeo diligis obedientes, vt etiam crucem tuam non nisi habenti nomen obedientis, tradere volueris; largire mihi praestantissimam hanc virtutem, qua me ordinationi tuae semper subiiciam; faciens, patiensq̄ue, quidquid mihi ex ea mihi prouenerit, etiamsi crux mihi sit grauissima.

a Heb. 13. 17

## II.

DEINDE, idem Simon, aduena erat, & praeteriens, & veniebat ex villa versus Hierusalem: quo nobis significatur; eos, qui Christo volunt occurrere, & haberi digni, qui tollant eius crucem, statuere debere, vitam ducere, tanquam peregrinos; mundo, eiusq̄ue agrestibus & prophanis moribus valedicentes: gressus & opera sua in caelestem dirigentes Hierusalem q̄ si ita viuere, mihi sit in votis, cū minimè cogitauero, occurram Christo, qui me dignū faciet, qui cum ipsa, & pro ipso aliquid patiar. O felicem occursum, qui fit Christo Domino crucem suam baiulanti! vtinam essem adeo felix, vt ille hac mihi ratione obuiaret, vt

quam ipse humeris suis crucem sustulit, meis imponeret! Simon etiam vocabatur Apostolus ille, cui Roma exeunti; occurrens Christus dixit, se Romam pergere, ut iterum crucifigeretur. Eamus igitur, Saluator mi, simul, simulque crucem portemus, non tamen esse cupio sicut hic Simon Cyrenensis: qui etsi crucem tuam portauit, non est tamen mortuus in illa; sed potius ut Simon Petrus, qui fuit tecum crucifixus, cum esses tu crucifixus in illo.

## III.

DENIQUE perpendam, etsi labor Simonis huius breui tempore durauerit, in hanc tamen diem, eius memoriam ac filiorum ipsius in Ecclesia perdurare, tanquam hominum virtute insignium, quos propterea omnes Sanctus Marcus expressit, dicens, ipsum appellatum esse *b Simonem & Patrem fuisse Alexandri & Rufi*. Sic igitur qui portant crucem Christi Domini nostri quamuis incipiant coacti, progrediētes veruntamen sponte & patienter, eorum labor erit valde breuis, sed gloria multa. Nam qui crucem suam cum Christo portat, cum eodem regnabit in aeterna gloria.

b Marc. 15.  
21.

## PUNCTVM V.

a Luc. 23. 27

SEQUEBATVR autem illum multi arabum populi & mulierum, quae plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS, dixit, Filia Hierusalem, nolite

*flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent beata steriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera, qua non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos; & collibus, operite nos. Quia, si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?*

PERPENDAM hinc primùm varios fines, & intentiones eorū, qui Christum sequebantur: alij enim eum sequebantur, vt crucifigerent, vt erā: milices, & carnifices; alij, vt eum arriderent, & exultarent, cū viderent morientem, sicut Sacerdotes & Scribæ; alij curiositate ducti, spectaculum hoc adeo insolens, videre cupiebāt; alij ob notitiam aliquam & familiaritatē, quam habebāt cum Christo, commiseratione quadā naturali calamitates eius dolentes, eum comitabantur: sed nullus tamen horum, illum sequebatur, vt iuuaret portare crucem, nec desiderans cum illo mori, sicut ipse antea dixerat, *si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* O bone IESV, da mihi gratiam, qua te, non vt hæc turba sequar; sed sicut tu vis, amplectendo crucem tuam, vt tecum in eā moriar.

DEINDE considerandum, Christum Dominum nostrum, in medio illo tantæ turbæ agmine, & in tanta sua ignominia, diuinam tamen suam conseruasse authoritatē; & ad mulieres, quæ flentes ipsum sequebantur, conuersum, docuisse illas perfectiorem flendi rationem. ac dixisse:  *nolite flere super me, sed super*

I.

bLuc. 9. 23.

II.

*vos ipsas flete*: quibus verbis, non prohibet illas flere eius passionem: quia iustissimum est, omnes illam flere; sed modum, ne scilicet illam, tanquam aliquam humanam miseriam solum, & immemores causæ, propter quam ipse patiebatur, quæ sunt peccato nostra, illam defleamus: atque si diceret, nolite tam flere propter me, & ea quæ patior, quam propter vos ipsos, & peccata vestra, ac filiorum vestrorum, quæ sunt causa, cur ego tanta patiar. O supreme Magister, qui etiam in medijs tot afflictionibus, non obliuisceris officij tui, doce me flere, super me, & super te, & super meos proximos. Super te, eo quod tam graua, mei causam sustineas; super me, quod toties, & tam grauitate te offenderim; super meos proximos, propter illorum peccata, eo modo, quo tu pro eis sæpius fleuisti.

## III.

**DENIQUE** infinitam huius Domini charitatem perpendam, qui tanquam suorum laborum, & calamitatis oblitus, vult nostram, & nostrorum proximorum de flere supplicia, eorum præcipue, qui ex ipsius Passione ac morte fructum accipere non curant, ad consequendam veniam suorum peccatorum. Et in eum finem, tremendam illam attulit sententiam, *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid faciant*, quasi diceret, si me viridem & fructuosam arborem, ita grauitate Diuina iustitia castigat propter aliena peccata; quomodo peccatores ipsos castigatura censabitur, qui sunt ligna sicca, & inutilia, propter propria illorum peccata.

cara! si ego innocens, sum flagellatus, alapis  
 caesus, spinis punctus, & irrisus, & nunc tendo,  
 vt cruci huic affigat, felleque & aceto poter;  
 quid fiet nocentibus & reis? quæ verbera, quas  
 spinas, quas alapas, & opprobria, quod fel,  
 quales cruciatus & tormenta, illis euenient,  
 quando iudicabuntur? O anima mea, cur non  
 tremis præ stupore eius supplicij, quod subi-  
 bis, si arbor eris sicca, si ad tua peccata deflen-  
 da, non permoueris ex eo, quod videas, quàm  
 grauius Deus tuus pro illis patiat; permo-  
 uere saltem, attendens grauissima illa, quæ  
 tu patieris, nisi ex ijs, quæ ipse est passus, fru-  
 ctum capere satagas! si non excitaris ad bene-  
 uolas misericordiae voces, quas edit Christi  
 sanguis, tanto amore profusus; excitare sal-  
 tem ingentibus iustitiæ clamoribus, quos idem  
 sanguis, tanto dolore effusus, edit contra re-  
 belles! O Pater æterne, placetur ira tua ijs,  
 quæ innocens Filius tuus patitur; accipiat tua  
 iustitia satisfactionem ex fructibus, quos ar-  
 bor hæc vitæ profert; & quamuis ego, tan-  
 quam lignum aridum, promeritis sim micti  
 in ignem inferni; eius tamen meritis, supplex  
 oro, vt illi me denuo inseras, vt proferam  
 fructus, dignos æterna vita. Amen.

## PUNCTVM VI.

**C**ONSIDERANDVM præterea, Beatif-  
 simam Virginem, audito (vt piè credi-  
 tur) tristi nuncio condemnationis sui

filiij



ad mortem; exiuisse cum S. Ioanne, & Maria Magdalena, aliisque pijs mulieribus, ut illum quæreret: sequebatur autem, ingenti suo dolore, sanguinis eius vestigia. Cumque Christus Dominus faciem suam ad filias Ierusalem, quæ flentes illum comirabantur, conuertisset; eleuatis oculis, matrem suam ibi conspexit ipsaque mater, oculis pariter eleuatis, conspexit filium: occurrentes autem sibi mutuo uisusque oculi, corda quoque mutuo penetrarunt; mansitque uerterque altero conspecto, dolore grandi transfixus. O quam acuto bipenni gladio, Virginis sanctissimæ anima, fuit transfixa, cum dilectissimum Filium, coronatam illa spinea uidit coronatam, quam nouerca Synagoga, illius capiti imposuerat! ac diuinam eius faciem ad eum immutatam! corpus uero graui pondere ligni crucis incuruatum, inter duos latrones incedentem, plurimisque tortoribus & carnificibus circumdatum, qui ex omni parte illum cruciabant. Si filia Ierusalem ad id plangebant, & lamentabantur, ob Christi Domini dolores, quem uirum tantum sanctum existimabant; quomodo planxerit, & in corde senserit eosdem dolores illa, quæ & filium eum, & Deum suum agnoscebat? Eleuauit mox illa oculos animæ ad æternum Patrem, quem spiritu uidit, tenentem a manibus ignem, & gladium, quo filium suum sacrificaret; magnisque cordis gemitibus dixit, *bonis Diuini amoris, qui nunquam dicitur, sufficit.* Nunc saltem dicas, sufficit; quandoquidem ad mundi

I I.

a Gen. 22. 6.

b Prou. 30.  
16.

mundi reparationem, verè sufficit, quod ha-  
ctenus meus filius est perpeffus! O Diuinæ iu-  
ftitiæ gladius, redi ad tuam vaginam: fiquidem  
fufficit fanguis, quem haftenus effudifti, ad  
foluendas iniurias tibi illatas! O Pater æter-  
ne, ceffer iam iuftitiæ tuæ rigor in filium tuum  
& meum; abundè fiquidem, ei fatisfactum est  
ijs, quæ haftenus ille pertulit; aut conuerte  
gladium tuum in meipfam, vt fimul ego cum  
eo, pro peccatoribus moriar: nam fine eo vi-  
uere, est mihi mors; illi verò commori, effer  
vita mea: veruntamen non mea voluntas, fed  
tua fiat.

O Pater misericordiarum, cuius decreto,  
Abraham profectus est, ad filium suum Ifaac  
tibi in sacrificium offerendum, in fcia eius ma-  
tre; cur quæfo nunc vis filium suum Ifaac tibi  
in sacrificium offerendum, in fcia eius matre;  
cur quæfo nunc vis filium tuum; non folum  
matre eius confcia sacrificari, verumetiam sa-  
crificio ipfi affiftere? nouus hic cruciatus est  
Filij & Matris; cur ergo vis vnus crucia-  
tus effe filij & Matris; cur ergo vis vnus crucia-  
tus crefcere, ex alterius præfentiâ! fed noui-  
tam Domine mores tuos, qui quos plurimum  
diligis, etiam affligis plurimum, quò in tuo  
amore crefcant; aut, quem in te habent, mani-  
feffent; voluntatem tuam, pluris quàm pro-  
prium æftimantes, feque ad moriendum offe-  
rentes; vt ijs vitam conferant, quos diligunt.  
O Virgo facratiffima, fiquidem peccatores a  
deò diligis, vt, ad filio tuo commorèdum, pro

illis

e Gal. 5.24.

illis te offeras: ostende mihi amorem, quomodo me prosequeris, in hoc, ut sentiam ego dolores illos, quos tu sensisti, cum filium tuum adeo afflictum videres; ut me ipsum offeram, ad commoriendum rebus omnibus terrenis *carneam meam pro ipsius amore, cum vitijs & concupiscentijs meis crucifigendo. Amen.*

III.

DENIQUE progrediens CHRISTVS, modo prædicto, peruenit ad montem Caluarie. Circa quod est perpendendum, quid Christus Dominus senserit, cum exiret ex illa ciuitate Hierusalem, cum insignibus illis peccatoribus cogitans, quod infelix illa, propterea quod ipsum extra se eiiceret, esset destruenda ac desolanda; suam verò passionem, cæteris proficua futuram; qui eius scelerum & proditorum participes pertinaciter non fuissent. O bone IESV, qui exis extra ciuitatem, ut caro tua, per legis antiquæ hircos adumbrata, in holocaustum pro meis peccatis offeratur, adiuua me, ut peruersam huius mundi ciuitatem, ac deprauatam hominum eius, societatem exiens, opprobria tua super meos humeros portem, de eis glorians, tuoque cruciatus lubens & magno affectu completens.

